

rebus pro quorumcunq, Regularium, etiam Mendicantium Ordinibus, & congregationibus quomodolibet emanarunt, ac omnibus, & quibuscunq; in eis contentis, eam deinceps dispositionem atque decisionem pro subiecta materia futuram esse, quæ siue ex iure veteri, siue ex sacris dicti Cōcil. decretis, siue alias legitimè ante dictarum literarum, & constitutionum editionem erat, & si ipsæ non emanassent futura fuisset, ad quã dispositionē & decisionē, suūq; pristinū & integrū statū, ac terminū, illa ōnia reducimus. Quin etiã abrogamus omnia irritantia, & alia decreta, & quęcunq; alia nostris, statuto, Ordinationi, et reductioni aduersantia. Decernentes illa pro infectis haberi, ac omnes lites, coram quibusuis iudicibus. &c. motas necdum decisas, & iam decisas, si modo tractum habeant successiuum, & futura dubia quandocunque orientur, ad nos referenda esse. Hæc Papa.

¶ Circa hanc Gregorij. 13. constitutionem magna est inter aliquos & graues Doctores concertatio, vtrum fuerit sufficienter publicata ita, q̄ habeat vim legis per quã indultum Pij. 5. sit abrogatum, & Motus proprius omnino cassatus?